

altero modo demonstratio instituat, nimirum spectatis iis quae cum natura entis contingens, veluti proprietates sunt intrinsece connexa, sic profecto demonstrationem dicimus absolvi posse; neque eam impetunt argumenta veterum quae alio spectabant. Haec autem, quae dicimus intrinsece connexa cum ente contingente, referuntur ad eius durationem; et huc redeunt ut sit 1. duratio non tota simul et proinde aliquo vero sensu successiva, 2. duratio quae indefinite producta potest in duplicem indefinitam aeternitatem a parte ante et a parte post distingui, 3. duratio quae spatio temporis mensurari potest cui coexistat, ita ut ea durante augeri possint sine fine horae e. g. dies, et anni, 4. si sermo sit de ente vel serie formaliter successiva, est duratio quae requirit terminum a quo procedat. Atqui si haec considerentur, facile demonstratur ens contingens non posse esse ab aeterno. Nam 1. quoad entia formaliter successiva, ut sunt motus et tempus, et quoad series formaliter successivas, ut est generatio hominum, deesset terminus a quo. 2. Generatim quoad entia contingentia, duratio eorum est aliquo vero sensu successiva; eo quod debet posse in ea distingui instans quo producentur ab eo instanti quo conservantur, nam in hoc possent destrui aut annihilari, non in illo: et sic successiva sunt instantia conservationis quia in singulis post priora destrui entia possent. Atqui instans creationis praevertere debet cetera alia, nec aliud ante se habere: duratio autem cuius assignari debet instans primum, post quod alia, est duratio quae incipit, ideoque non ab aeterno; ergo. Item duratio successiva, seu non tota simul, cum augeri semper valeat, potest hoc ipso, si indefinite protendatur, distingui, ut diximus, in aeternitatem a parte anteriori et posteriori; at si ab aeterno existat ens contingens, eius duratio quocumque in instanti consideretur, est infinita, quia secus ascendendo reperiretur initium: duratio autem infinita continet ratione infinitatis omnia possibilia instantia, et ideoque nequit amplius crescere, at si augmentum non est possibile, nulla superest aeternitas a parte post: ergo. Rursus duratio successiva, quae talis est ut respondeat vel debeat posse respondere successivae multitudini horarum, dierum, annorum etc. infert necessario possibilitatem actualis multitudinis infinitae, quae tamen repugnat, et simul multitudinis infinitae, quae semper in eodem ordine angeatur, quod rursus repugnat, et ita porro. Ergo et ipsa duratio entis producti ab aeterno repugnat. Haec argumenta evolvimus in Philos. l. c. ideoque satis est modo ea innuisse.

Quod vero veteres aiebant demonstrari non posse novitatem seu inceptionem rei creatae ex rerum naturis, quia natura cuiusque rei abstrahit ab hic et nunc, propter quod dicitur quod universalis sunt ubique et semper: hoc argumentum, inquam, principio innititur

perperam intellecto. Scilicet natura rei abstrahit ab hic et nunc, quatenus ea non est per se determinata ad hunc vel illum locum, ad hoc vel illud instans temporis, sed potest per se esse in hoc aut illo, aut potest etiam locum semper minorem aut maiorem occupare, sed actu semper finitum, aut pauciora vel plura loca occupare, sed numero semper finita; et idem dicas de tempore, conc. quatenus simul quoque possit esse in omnibus possibilibus locis, vel carere limitibus in occupatione spatii, aut possit etiam duratione sua complecti omnia instantia possibilia, vel carere limite in duratione actuali sive a parte ante sive a parte post, neg. ac nego hunc esse sensum illius principii. Iam vero hunc esse sensum oporteret, ut ex eo principio efficeretur demonstrari non posse ex natura rei creatae quod ipsa exigat initium. Confunditur nimirum indefinitum cum infinito. cf. l. c. in Philos. et de hac re satis.

ARTICULUS II.

DE MUNDI OPIFICIO

Thesis XIV.

Divina revelatio non tantum factum creationis, sed modum quoque et ordinem exhibet, quo factus est mundus. Cuius quidem modi et ordinis expositio progressus facere ex amplificata notitia rerum naturalium potest, dummodo Verbum Dei locum normae saltem negativae semper obtineat.

1. Mundus est synthesis omnium naturarum factarum, quae caelo et terra continentur. Cum modum dicimus quo factus est mundus, intelligimus formationem singularum naturarum, sive non viventium sive viventium, collocationem earundem in spatio certoque loco, connexionem et harmoniam inter eas institutam, leges inditas singulis activitatis ac convenientis durationis, et si qua sunt huiusmodi. Cum ordinem dicimus, intelligimus habitudinem prioris et posterioris, qua se exceperunt opera Dei in conditione mundi. Iam vero manifestum est in 1. capite Genesis non tantum tradi factum creationis, quod iam probatum est; sed insuper quoad plura saltem modum et ordinem quo mundus est factus. Hic enim spectat descriptio operum sex dierum, ut conferenti liquere potest absque ampliore explicatione. Quod et omnes Patres testantur, qui hexameron, nempe opera sex dierum, luculenter enarrarunt exponentes seriem suc-

cessivam operum divinorum, et, ut illius aetatis scientia ferebat, singularum naturarum totiusque ex iis constantis originem et constitutionem explicantes.

II. Commentarium verbi Dei enarrantis opera sua, sunt eadem opera rite inspecta. Duplici modo haec opera inspicere possunt: 1) si quae Deus narrat, videantur immediate, adistendo nempe creationi: 2) si videantur in effectu qui perseverat. Primo modo nemini inspectio contingit. Altero modo geologia manifestat opera Dei in prima molitione et conformatione telluris. Sed et aliae scientiae naturales, quae rerum corporearum naturas earumque leges explanant, manifestare nobis possunt quomodo ab initio naturae auctor eas condiderit. Quare et Patres hexaemeron explicantes ad enarrationem verbi Dei notitias quoque physicas suae aetatis adhibebant. Ergo quo magis scientia harum rerum naturalium augetur, eo quoque clarior evadit nobis narratio divina. Clarior inquam; hoc enim opus est commentarii, illustriorem facere textum quem explanat, non autem ei auctoritatem conciliare, quam textus per se sibi vindicat. Quod potissimum habet Igeum in textu divino, cuius auctoritas maior esse non potest. Quidquid igitur scientiae naturales conferunt, in nostra utilitate est positum, quatenus cognitio nostra earum rerum, quas verbum Dei testatur, amplior fit et distinctior. Quia vero ea quae scientiae naturales cognoscunt (dummodo veritatem nactae fuerint) sunt opera Dei, hinc tandem aliquando Deus est qui per opera sua nobis manifesta verbum suum interpretatur.

Iam vero scientiae naturales sunt cognitio, quam homo habet operum Dei, verbum Dei est expressio cognitionis divinae; atqui non cognitio Dei ad normam nostrae, sed nostra ad normam divinae cognitionis exigi debet. Alteram autem ad alterius normam exigi oportet; cum invicem eas componi oporteat, et sint in diverso ordine. Praeterea cognitio nostra est errori obnoxia, cognitio divina infallibilis: quod autem est errori obnoxium ad normam infallibilis exigendum est. Proinde si seus fiat, iam maximus error admittitur in huius ordinis perversione, erroribusque via aperitur, quoniam duce infallibili relicto, dux qui errare potest adhibetur.

Dicimus autem *normam saltem negativam*. Duplex enim est norma, *positiva*, et *negativa*. *Positiva*, quam sequeris in actione tua ne erres, et citra quam (si adaequata sit) bene agere nequis. *Negativa* est ea, quae exigit ut ei non contradicas, si non vis errare. Iam vero sunt quidem aliqua circa modum et ordinem formationis mundi, quae a verbo Dei docemur: ideoque quoad haec norma positiva est verbum Dei; oportet enim illud sequi. Plurima autem Deus silentio praeteriit et hominum inquisitioni permisit. Verum

quidquid humana mens investigando et ratiocinando colligit, illud semper cavere debet ne iis adversetur quae verbum divinum testificantur: quod enim iis opponitur, nequit esse nisi falsum.

Rursus advertendum est quod in hac materia obiectum cognoscibile est contingens, dependens a divina voluntate, quae plures vias novit aliquid efficiendi, tum cognitio nostra quoad primam constitutionem naturarum est mediata; nos non cognoscimus aut certe ignoramus nos cognoscere omnia adiuncta, quae potuerunt mutare conditionem telluris; ergo fieri potest ut id reapse contingerit, cuius modo nullum vestigium exstat. E contrario certe Deus novit quid voluerit facere, et quomodo voluerit. Igitur nihil potest humana ratio affirmare contrarium ei quod auctor operis testatur, illudque tenere debet quod ipse testatur: ergo. Lege Job. c. XXXVIII, 4. seqq.

Ceterum ineptus foret qui subsidium scientiarum naturalium repudiaret ea fretus opinione quod Deus miraculis etiam uti potuit in conditione mundi. Nam in prima institutione naturae naturales leges, quibus res regerentur, statim oportebat; nullaque ratio suppetebat miracula patrandi, quae praeterea iam aliquem ordinem naturalem institutum supponunt. Non ergo miracula quaerenda sunt, sed naturae leges, quae per scientias naturales nobis plus minus innotescere possunt. « Nunc, ait August. De Genesi ad lit. L. II. c. 1., quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum Scripturas eius nos convenit quaerere, non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiae suae velit operari. » Unde Thomas q. LXXVII, a. 4. ad 3. « In prima constitutione naturae non quaeritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut Augustinus dicit. l. c. » Cf. et q. LXXVIII, a. 2. ad 1.

Thesis XV.

Duplex distinguenda est divina operatio, altera, cuius terminus est substantia materialis ex nihilo producta; altera, cuius terminus sunt naturae ex eadem substantia formatae. Terminus ilaque prior est materia adhuc informis, eiusque informitas tempore praecessit formationem.

I. Distinctio operationum in Deo non est nisi secundum rationem, sumiturque ex diversis terminis, qui a Deo operante procedunt.

Ratione termini creati actio Dei dicitur *creatio*, ratione termini formati dicitur *formatio*. *Formatio* est operatio quae ex materia creata tot diversas naturas effinxit, apte composuit, in unam synthesisin collegit, viribus propriis instruxit et in finem ordinavit. Ea a s. Thoma

rursus dividitur in duas (q. LXXIV, a. 2. ad 2), quae sunt *distinctio et ornatus*.

Duplicem operationem aperte distinguunt Patres. Sane Nazianzenus Orat. XLIV, n. 4. « Nam cum in aliis rebus hanc rationem tenuisset, ut materiam prius conderet, ac deinde eam forma convestiret, ordine videlicet ac figura ac magnitudine cucumque rei impositis. » Cf. et Orat. II, n. 81. Severianus Gabalorum Episcopus De Mundi Opificio hom. 1. « Sex diebus cuncta a Deo creata sunt: differt tamen prima dies a reliquis sequentibus. Nam prima die (creationem inter opera primae diei collocare videtur) fecit Deus quae fecit *ἐξ μη ὄντων*; ab altera autem die nihil fecit ex non entibus, sed a quibus prima die creaverat, mutavit ut libuit... Prima itaque die creavit Deus rerum materias; reliquis vero diebus earum formam et ornatum fecit. » Idem docent Theodoretus in Quaestionibus in Genesim q. 5. Ambrosius in hexaemeron c. 6. 7. 8. Basilus in hexaemeron hom. 2. Nyssenus, qui protestatur se nihil velle statuere contra dicta a Basilio, haec habet in hexaemeron ad ea verba *terra erat invisibilis et incomposita*, » ut planum, inquit, fieret omnia quidem fuisse *δυνάμει* in primo Dei ad procreandum appulsu: tanquam vi quadam seminis ad mundi procreationem coniecta, *ἐνεργείαι* autem res singulas minime fuisse. Terra erat, inquit, invisibilis, quod perinde est ac si diceretur: *erat et non erat*. » Augustinus De Genesi contra Manichaeos l. 1. c. 6. « In principio creavit Deus caelum et terram. Caeli et terrae nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus... Prima ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent, quae distincta atque formata sunt, quod credo a graecis *χρως* appellari... Sic enim et alio loco legimus dictum de laudibus Dei: qui fecisti mundum de materia informi, quod aliqui codices habent, de materia invisita... Informis ergo illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primo caelum et terra, *non quia iam hoc erat*, sed *quia hoc esse poterat* (habet haec *δυνάμει* et *ἐνεργείαι* Nysseni). Sic dictum est: in principio fecit Deus caelum et terram, quasi semen caeli et terrae, cum in confuso adhuc esset caeli et terrae materia. Sed quia certum erat inde futurum caelum et terram, iam et ipsa materia caelum et terra appellata est. » Idem Confess. L. XII. c. 3. « Nonne tu Domine docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus; non tamen omnino nihil. Erat quaedam informitas sine ulla specie. »

Quam doctrinam Patres hauserant ex Scripturis. Etenim si primum caput Genesis inspicatur, manifeste apparet ibi duplicem

describi operationem Dei; tradita enim in 1. versiculo creatione materiae, deinceps exhibetur distincte tum institutio naturarum singularum non amplius per verba significantia productionem ex nihilo (nisi bis, cum reapse aliquid ex nihilo producendum occurrit), sed per verba significantia effectorem ex materia praeeistente; tum harum naturarum distinctio et collocatio in spatio, atque ornatus earumdem. Praeterea cum versiculo 1. dicitur creata terra, eadem versiculo 2. dicitur adhuc res inanis et vacua, informis nempe; formam ergo per aliam operationem acquisivit; quae nequit esse alia ab ea quae in sequentibus describitur. Hinc Sapientiae XI. 18. dicitur Deus creasse orbem terrarum *ex materia invisita*, quibus verbis altera operatio indicatur, quae ex materia creata ex nihilo sed adhuc incomposita et informi, mundus est formatus, eadem materia in certum ordinem redacta. Huc quoque facit quod ait Paulus ad Hebraeos XI. 3. Fide intelligimus aptata esse secunda verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent: nempe per verbum Dei (Dixit Deus, et fecit Deus) ex invisibili materia factus est visibilis mundus (cf. Alapide in hunc locum).

Porro ex his Patrum et Scripturae testimoniis liquet terminum prioris operationis fuisse *substantiam*, terminum alterius *naturas corporeas*. Quod enim per creationem efficitur, et quod est subiectum formarum, qualitatum, quodque diversimode disponi potest, est substantia. Prima ergo operatione substantia omnis materialis, atomi nempe omnes, ex quibus corpora constant, productae sunt ex nihilo. Ex his autem atomis formata sunt corpora caelestia et terrestria, inorganica et organica, quorum formatio non postulat productionem novae realitatis, sed solum specialem quemdam modum compositionis; quapropter in iis efficiendis substantia proprie non produciunt, nisi composita, sed proprie fiunt naturae corporeae; ex diversa namque combinatione substantiarum fiunt diversa principia operationum et phenomenorum, quae principia naturae dicuntur; terminus ergo alterius operationis fuerunt naturae corporeae. Ad hanc operationem spectat quoque collocatio earumdem naturarum in certis partibus spatii, ut harmonice omnia congruerent: quae tamen collocatio revocari potest ad formationem naturarum, tanquam eius naturale consequentium.

II. Cum duplex fuerit operatio Dei, creatio et formatio, ut has uberius declaremus, quaestio instituitur duplex: prior, qua distinctius quaeritur obiectum creationis, h. e. quid sit illud quod creatum dicitur: altera, qua quaeritur an simul fuerint istae duae operationes, an secus.

Quod spectat ad secundam questionem, quam primo loco agita-

mas quaeritur utrum informatas materiae praecesserit tempore formationem eiusdem. In hac quaestione haec habet Magister sententiarum in II. d. 12. « Quidam ss. Patrum, qui verba Dei atque arcana excellenter scrutati sunt, super hoc quasi adversa scripsisse videntur. Alii quidem tradiderunt omnia simul in materia et forma fuisse creata, quod Augustinus sensisse videtur. Alii vero hoc magis probaverunt atque asseruerunt, ut primum materia rudis atque informis quatuor elementorum commixtionem atque confusionem tenens creata sit. Postmodum vero per intervalla sex dierum ex illa materia rerum corporalium genera sint formata secundum species proprias. Quam sententiam Gregorius, Hieronymus, Basilus, aliique plures commendant ac praeferunt. Quae quidem etiam Scripturae Genesae, unde prima huius rei cognitio ad nos pervenit, magis congruere videtur. Secundum haec itaque traditionem, ordinem atque modum creationis formationisque rerum inspicimus. Dicimus illam primam materiam non ideo dictam informem quod nullam omnino formam haberit, quia non aliquid corporeum tale existere potest, quod nullam habet formam. Sed ideo non absurde informem appellari posse dicimus, quia in confusione et pernixione quadam subsistens nondum pulchram, apertamque et distinctam receperat formam, qualem modo cernimus. Facta est ergo illa materia in forma confusionis ante formam dispositionis. » Idem quoque duplicem sententiam inter Patres monet Thomas q. cit. et q. LXIX, a. 1. Nimirum sententia est communis Patrum non omnia simul facta, sed primum creatam esse materiam, elementa corporearum naturarum, deinde per sex continentes dies naturas conditas, mundumque absolutum. Sententia est propria Augustini: omnia simul facta, et in omnibus operibus creationis quae in 4. Genesim memorantur, non durationis ordinem, sed solum originis et naturae existisse. S. Thomas in sententiam ceterorum potius concedit, licet Augustini sententiam non reprobat.

Et sane si textus Genesis literaliter et proprie accipiatur, ea distinctio successivorum dierum per se indicat mundi fabricam per aliquod temporis spatium esse absolutam: nulla autem ratio nos cogit a sensu literaliter et proprio recedere. Patres generatim hanc interpretationem tenuerunt. Conferantur qui citati sunt in 1. p. Ipe Augustinus eidem non repugnet. Etenim, etsi proposuerit aliam interpretationem, non tamen eam proposuit tanquam certam, sed solum ut probabilem, neque alias interpretationes reprobat; illud unice cavens ut ab irrisionibus et calumniis haereticorum et infidelium verbum Dei tueretur. De Genesi ad lit. L. I. c. 20. « Librum Genesios multipliciter quantum potui enucleavi, protulique sententias

de verbis ad exercitationem nostram obscure positus, non aliquid unum temere affirmans cum praeviudicatis alterius expositionis fortasse melioris; ut pro suo libitu eligat quisque quod capere possit, ubi autem intelligere non potest, Scripturae Dei det honorem, sibi timorem ».

Nec deerant Augustino rationes, quibus suam expositionem probabiliorem putaret. Nam Eccli. XVIII. 1: Scriptura dicit fecisse Deum omnia simul: et Gen. II. 4. dicitur: *Istae sunt generationes caeli et terrae* (quibus verbis videtur et formatio eorum significari) *quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deum caelum et terram.* Praeterea Augustinus L. V. de Gen. ad lit. c. 1. in haec verba: Hic est liber creaturae caeli et terrae, cum factus est dies, fecit Deus caelum et terram (ita enim legit; graeca LXX sic habent *αὐτὸ ἡ βιβλὸς γενεσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὅτε ἐγενετο ἡ ἡμέρα ἐποίησε κυριος ὁ θεος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.* Hic est liber... quando facta sunt qua die fecit etc. Sed translatio Augustini sic legebat: *ὅτε ἐγενετο ἡ ἡμέρα, ἐποίησε...* quando facta est dies, fecit etc.) haec ait « Nunc certe firmior fit illa sententia qua intelligitur unum diem fecisse Deum; unde iam illi sex vel septem dies unius huius repetitione numerari poterunt ». Tum occurrebant difficultates in quibusdam explicandis sensu obvio, quorum in communi sententia solutionem apertam non videbat. Ita in opere imperfecto de Genesi c. 15. post opera quintae diei commemorata ait: « Hic plane quis tardus evigilare debet, ut intelligat quales isti dies enumerantur. Cum enim certos seminum numeros Deus animantibus dederit servantes miram certo ordine constantiam, ut certo dierum numero pro suo quoque genere et conceptu uterum gerant et edita ova calefaciant, cuius naturae institutio Dei sapientia conservatur, quae tendit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter; quomodo uno die potuerunt concipere et utero gravescere et partu fovere atque enutrire et implere aquas maris et multiplicari super terram (nimirum si unus dies 24 horarum supponitur)? Ita enim subiungitur: et factum est sic, ante vesperae adventum ». Unde in Lib. IV. De Genesi ad lit. c. 18. ait « Probabilis est istos quidem septem dies (qui modo excurrunt), illorum (genesiacorum) nominibus et numero, alios atque alios sibi met succedentes currendo (temporalia spatia peragere: illos autem primos sex dies *inexperta nobis et inusitata specie* in ipsis rerum conditionibus explicatos; in quibus vespera et mane, sicut ipsa lux et tenebrae, idest dies et nox non eam vicissitudinem praebuerunt, quam praebent isti per Solis circuitus, quod certe de illis tribus fateri cogimur qui ante condita luminaria commemorati atque numerati

sunt. » Scilicet interpretatio literalis dierum, qui viginti quatuor horarum spatio contineantur, impedita Augustino difficultatibus inextricabilibus videbatur. Pronum ergo erat ut ad aliam interpretationem confugeret, qua nomina dies, vespere, mane metaphoricè acciperentur. Nihilominus evidens est rationes non esse tales ut a communi sententia nos discedere cogant. Testimonium enim Eccli. docet Deum *pariter*, ex *aequo* omnia fecisse. In verbis Genesis vel sermo est de creatione, rursus mentio facta primae operationis, repetita veluti ab initio quodam alio modo narratione praecedenti, vel *in die* idem valet ac *quando*, spatiumque temporis non definitum significant, totum nempe illud tempus quo formationis opus est absolutum. Difficultas ex diebus petita, modo a scientiis naturalibus aliam solutionem nacta est, de qua postea.

Ceterum ut aliquid de sententia Augustini distinctius enarremus; ipse sex dies in unum contrahit, qui repetitur pro iis qui capere non possunt nisi cum eis sermo tardius incedat (De Gen. ad lit. LIV, c. 3 $\frac{1}{2}$.), qui repetitur non circuitu corporali sed cognitione spiritali (ibid. c. 26.). Dies iste unus (ait S. Thomas q. LXXIV, a. 2.) « est cognitio Angelica, ut sic primus dies sit cognitio primi divini operis, secundus dies cognitio secundi operis, et sic de aliis. Et dicitur unumquodque opus factum in aliqua die, quia nihil Deus produxit in rerum natura, quod non impresserit menti Angelicae: quae quidem multa simul potest cognoscere, praecipue in Verbo, in quo omnis Angelorum cognitio perficitur, et terminatur. Et sic distinguitur dies secundum naturalem ordinem rerum cognitarum, non secundum successionem cognitionis, aut secundum successionem productionis rerum (dies ergo iste uno absolvitur instanti). Cognitio autem Angelica proprie et vere dies nominari potest, cum lux quae est causa diei proprie in spiritualibus secundum Aug. (4. sup. Genes. c. 28) inveniatur. » Triplex, ut ita dicam, momentum cognitionis Angelicae statuit Augustinus, nempe cognitionem rationis rei faciendae in Verbo, cognitionem rerum in se ipsis, et conversionem mentis a rebus cognitis ad laudem Dei. De Gen. ad lit. L. IV. c. 26. « Dies ille, quem fecit Deus per opera eius, ipse repetitur non circuitu corporali, sed cognitione spiritali, cum beata illa societas Angelorum et primitus contempleretur in Verbo Dei quod dixit Deus: fiat. Atque ideo prius in eius cognitione fit cum dicitur, et sic est factum. Et postea rem ipsam factam in ea ipsa cognoscit, quod significatur facta vespere; et eam deinde cognitionem rei factae ad illius veritatis laudem refert ubi rationem viderat rei faciendae, quod significatur facta mane »; et c. 29. « Potest aliquis fortasse mecum disputando certare, ut dicat sublimitium caelorum Angelos

non alternatim contueri primo rationes creaturarum incommutabiliter in Verbi Dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas, et tertio earum etiam in se ipsis cognitionem ad laudem referre creatoris; sed eorum mentem mirabili facilitate haec omnia simul posse... simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant; possunt tamen et faciant. Simul ergo habent et diem et vespeream et mane ».

Omnia ergo simul facta secundum Augustinum, sed quomodo? Quoad res inorganicas, eae exstiterunt actu non tantum virtute. De Genes. ad lit. L. VII, c. 28. « Ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio seculi primum simul omnia creavisse; quaedam conditis iam ipsis naturis, quaedam praeconditis causis ». « In productione luminarium (ait S. Thomas q. LXX, a. 1) non discordat Augustinus ab aliis sanctis (qui intra ambitum sex dierum naturas omnes actu exstitisse volebant). Dicit enim luminaria esse facta (illo unico die) in actu non in virtute tantum; non enim habet firmamentum virtutem productivam luminarium, sicut habet terra virtutem productivam plantarum ». Quod tamen valet in cunctis rebus inorganicis. Quoad vegetalia vero, ea vult Augustinus illo die non actu exstitisse sed virtute: de Genes. ad lit. L. V. c. 4. « Causaliter tunc dictum est produxisse terram herbam et lignum, idest producendi accepisse virtutem. In ea quippe iam tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quae pro tempore futura erant; nam utique *postea* plantavit Deus paradisum iuxta orientem, et eiecit de terra omne lignum speciosum ad aspectum, et bonum ad escam. Nec tamen dicendum est eum aliquid tunc addidisse creaturae, quod ante non fecerat... Omnes naturae fruticum atque lignorum in prima conditione factae fuerant, a qua conditione Deus requievit, movens deinde administransque per temporales cursus illa ipsa quae condidit. » Semina ergo plantarum commissa terrae fuerunt illa die multipliciter representata; plantae vero, Deo conservante et administrante quod creaverat, exstiterunt. Ex quo, ut id obiter moneamus, patet quod etiam secundum Augustinum realis distinctio adest ex parte obiecti inter opus creationis et opus formationis, nisi quod ab Augustino formatio reicitur post sex dies.

Quoad plantas et animalia haec dicit Thomas q. LXXIV, a. 2. « Differunt (alii Patres et s. Augustinus) quantum ad productionem plantarum et animalium: quae alii ponunt in opere sex dierum esse producta in actu; Augustinus vero (L. VIII. sup. Genes. c. 3.) potentialiter tantum »; et q. LXXI, a. unico. « Alii dicunt pisces et aves quinta die esse productas in actu; Augustinus vero L. V. sup. Genes. c. 5. quod quinta die aquarum natura produxit pisces et aves potentiali-

ter »: et q. LXXII, a. unico. « Et hic etiam (secta die) secundum Augustinum (L. V. sup. Genes. c. 5) animalia terrestria producantur potentialiter; secundum vero alios sanctos in actu ». Quod quidem non est facile intellectu, nisi accipiatur de potentia quadam remota. Etenim animalia non nisi ex animalibus naturaliter oriri possunt, unde non nisi in aliquo animali praeesistente possunt potentialiter, potentia saltem proxima, contineri. Remote autem in aquis quoque vel terra potentialiter contineri animalia concipi potest, quatenus in iis vel ex iis Deus materiam organicam efformaverit, qua deinceps corpora animalium, infusus animabus, procreaverit. Verum, si illo unico die animalia non actu sed potentia tantum existerunt, quomodo eodem illo die Angeli res omnes nedum in Verbo sed in suis quoque naturis viderunt, cum actu naturae omnes organicae non exstarent? Tum de homine quid dicendum? an et ipso sicut cetera animalia actu non exsistit sexta die? Haec quidem admittere necessarium non est, ut unicui ille dies Augustini defendatur; potuit enim Deus quemadmodum et corpora inorganica ita et animalium singulas species et hominem actu procreare; neque in hac hypothesi urgeri posset id quod impulit Augustinum ad cogitandam productionem tantum in potentia, nempe multiplicatio animalium super terram, quae uno die fieri non potest. Attamen est haec Augustini doctrina in Lib. V. de Genes. ad lit. loco citato a S. Thoma. « Non itaque temporalis sed causali ordine prius facta est informis, formabilisque materia, et spiritualis (de hac tamen materia spirituali aliquid ex mente Augustini dicemus, cum de Angelis disputabimus) et corporalis, de qua fietur quod faciendum esset... quinto die aquarum natura... produxit ad Dei verbum indigenas suos, omnia scilicet natalia; et haec potentialiter in numeris, qui per congruos temporum motus exererent. Sexto terrestria similiter animalia, tanquam ex ultimo elemento mundi ultima; nihilominus potentialiter, quorum numerus tempus postea visibiliter explicaret ». De homine hic nihil diserte. Post non multa vero ait. » Nomen iam sexto die fecerat (Deus) hominem, et scripto die requieverat ab omnibus operibus suis? » At L. VII. c. 28. videtur probare potius sententiam: hominem non exsistisse actu sexto die; quamvis omnia, quae disputat, dubitando proponat: ac tandem concludat: « nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini, sullando in eius faciem, nihil confirmo ». Cf. ibid. c. 5. et 6. Haec itaque est Augustini propria sententia, qua tamen proposita L. IV. de Genes. ad lit. c. 27. ait: « non debemus temerariam praecipitare sententiam, tanquam de his aliud sentiri congruentius probabiliusque non possit. » Cf. Confess. L. XII. a. c. 17. ad c. 31. inclu-

sive, ubi plures profert in medium sententias veras, ut ipse ait, quas inter et communis interpretatio recensetur; remque in medio relinquit. Et de sententia Augustini haecenus.

III. Quod ad alteram questionem spectat, quae primo proposita fuit, materia creata et formanda per aliam operationem, ipsa materia informis dici potest et debet, prout carebat forma quae inducenda erat. Non est autem necesse ut pro materia informi accipiamus eam, quam peripatetici materiam primam vocant; tum quia huius existentiae nullum certum indicium est in natura, nec ullum ecclesiae decretum ad eam admittendam cogit, tum quia Patres, ut vidimus, materiam informem volunt praecessisse duratione formationem sui, idque exigitur ab obvia interpretatione sacri textus: materia autem illa prima nequit esse sine forma.

Restat proinde quaestio, utrum materia ea informis fuerit atomi primitivae segregatae adhuc ab invicem, an fuerint quaedam corpora iam constituta, aut saltem cum illis atomis primitivis simul quaedam corpora condita sint, quae deinceps novis formis indui, ornari et disponi deberent. Ratio dubitandi est, quia in I. Genesis ante opis formationis, iam dicitur existere caelum, terra, aqua; in opere deinde formationis aquae non dicuntur fieri, sed tantum iubentur congregari; terra item non fieri, sed apparere iubetur. Unde et Patres non pauci eas naturas ab initio exsistisse per actum creationis arbitrantur. Verum, omnibus perpensis, putamus sententiam plurium recentiorum interpretum probabiliorum esse; atomos nempe primitivas tantummodo nondum adunatas in corpora per actum creationis exsistisse; cui sententiae nedum non repugnat sed favet quoque textus inspiratus, neque Patres proprie refragantur, et quam scientiae naturales postulare videntur.

Et re quidem vera nomine caeli et terrae intelligi potest ea materia, ex qua exsistiturum erat caelum et terra. Etenim I) licet caelum memoretur I. versiculo, deinde tamen versiculo 7. et 8. dicitur Deus fecisse firmamentum, ipsumque vocasse caelum; nondum ergo erat; sive erat *δυνάμει*, non erat *ἐνεργεία*. Idem igitur et quoad terram intelligi potest. Scilicet, quoniam nomine caeli et terrae solet universitas rerum designari, ut doceretur substantiam omnem, ex qua mundus constat, productam esse ex nihilo, dictum est in I. versiculo: creavit Deus caelum et terram, h. e. omnem substantiam quae exsistit produxit ex nihilo; deinceps vero describitur formatio singularum partium mundi, caeli, terrae etc. Habemus in hac interpretatione consentientem Augustinum loco superius citato, qui rursus subdit. « Eandem ipsam materiam aquam appellavit... Dictum est caelum et terra, quia inde futurum erat caelum et terra: dicta est

terra invisibilis et incomposita, quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi homo esset qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subiacebat operanti. »

2) Terra in initio creata dicitur res inanis et vacua, *χρως*; nimirum; alqui haec non est terra, quam incolimus, sed potest esse tantum confusio quaedam elementorum, ex quorum synthesis tellus nostra coalescit.

3) Aquae quae versiculo 2. memorantur sunt abyssus, cuius superius fit mentio: *ἀβυσσος* enim est *fundo carens*, et proprie est adiectivum nomen; cum vero substantivum accipitur significat copiam magnam aquarum: heb. est *הַרְוֵם* vorago. At illa abyssus non est nisi id quod creatum dicitur versibus superioribus; hoc autem est terra inanis et vacua (de formatione telluris potissimum sollicitus est Moyses): ergo abyssus haec non accipienda est pro magna copia quae sit proprie aquarum, sed pro magna copia rerum confusarum adhuc speciem quandam abeesi referentium. Ergo neque aquae, quae sunt abyssus, accipiendae sunt proprie. Nam ut Augustinus ait Confess. L. XII. n. 4. illa informis materia « quid vocaretur, quo etiam sensu tardioribus utcumque insinuaretur, nisi usitato aliquo vocabulo? quid autem in omnibus mundi partibus reperiri potest propinquius informati omnimodae, quam terra et abyssus? »

4) Congregatio aquarum et apparitio terrae die tertia peracta non excludit formationem aquarum et die eodem die vel praecedentibus. Sane aquae potuerunt existere primo die cum lux facta est, sive cum ignis exarsit combinatis chimice iis elementis, ex quibus constat aqua. Atomos autem illas, quae terram constituturae erant, coaluisse simul et terram efformasse tertia tandem die, satis insinuat per ea verba: Congregentur aquae in locum unum, et appareat arida: nempe particulis telluris separatis ab aquis unaque coactis, arida tandem exsistit quae est terra.

His porro simul collatis liquet Scripturam recentiorum interpretatione sententiae non adversari, imo eidem favere.

Ad Patres quod spectat, ii generatim docent per creationem existisse elementa prima rerum, universitatem nempe rerum adhuc informem, sine ornato. Determinatio autem horum primorum elementorum pendet etiam ex notitiis physicis, quibus mens sit imbuta. Cum itaque Patres arbitrarentur prima elementa esse terram, aquam, aerem et ignem, hinc nihil mirum si terram et aquam ab initio condita in suis naturis assernerunt, atque voluerunt quidam spiritum illum, qui super aquas ferebatur, esse aerem aut aetherem, inter quos recensendi sunt Ephrem Syrus in Genesim ad hunc locum, Chrysostomus hom. 3. in Genesim, Severianus Gabalitanus Orat. 1. De

creatione, Ioannes Philoponus De mundi creatione L. I. c. 5. cui sententiae Augustinus non refragatur, qui in opere imperfecto de Genesi c. 4. ubi tres interpretationes huius loci refert, nullam reiticiens ait: « Potest et aliter intelligi ut spiritum Dei vitalem creaturam, qua universus iste visibilis mundus atque omnia corpora moventur et continentur, intelligamus; cui Deus omnipotens tribuit vim quandam sibi serviendi ad operandum in iis quae geruntur, qui spiritus cum sit omni corpore aethereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurde spiritus Dei dicitur ». Ignis autem, qui (ut ait auctor Conflictus catholici cum Serapione L. II) est per se invisibilis, fit vero visibilis per aliam substantiam cui adhaeret, puta lignum, aer, etc. licet (ut ait Basilius de Spiritu S. c. 16) aliud sit subiecta materia, et aliud ignis; quique (ut ait Dionysius Cael. hier. c. 45) omnibus invisibiliter praesens, si negligatur, non videtur existere, attriti autem velut indagine quadam, conaturaliter ac proprie subito reduct: ignis, inquam, iussu Dei prima die exsistit actu. Sicque, ut ait auctor Philosophumenon in professione fidei, Deus creavit quatuor differentia elementa, aquam, aerem, terram, ignem, et ex his cetera. Verum cum terra inter elementa enumeratur, non haec tellus est necessario accipienda: sed simpliciter terra secundum multorum saltem opinionem; nam, ut refert Ambrosius in Hexaem. L. III. c. 6. « plerique accipiunt terram invisibilem fuisse, non quia videri non posset a summo Deo vel Angelis; nam adhuc homines creati non erant, vel etiam pecudes, sed quia sine sua specie erat. » Cum res ita se habeat, non adversantur nobis Patres, si nunc, penitente analysi rerum corporearum instituta, iis elementis veterum alia, quae scientia suppeditat, substituamus eaque in suas primitivas atomos resoluta ab initio arbitremur; qua in re Patrum auctoritatem nobis vindicare possumus, qui naturas corporeas docent ab initio potentia non actu exstitisse, primamque materias rerum creatas, tum formam et ornatum eisdem inditum fuisse.

Tandem scientiae naturales potissimum sententiam hanc probant. Si enim telluris cortex spectetur, praeterquamquod eius formatio secundum diversas series stratorum, iuxta naturae leges, plures seculorum tractus requirit; existentia in his stratis inferioribus reliquiarum tum vegetantium tum animalium, manifeste indicat corticem ipsum non nisi post productas species quasdam vegetalium et animantium absolutum fuisse; et ideo paulatim progressu temporis tellurem esse formatam. Itaque probabiliter saltem affirmare licet obiectum creationis fuisse atomos.

IV. Ad absoluteionem huius quaestionis quaeri potest: an in opere formationis creatio alicuius rei locum habuerit. Certum quidem est creatam fuisse animam hominis, quod per verbum ברא ibi usurpatum significatur, certumque est de Fide. Philosophice vero certum est etiam nobis brutorum animas esse creatas, quia sunt substantiae simplices, quae ex materia efformari sive educi nullo modo possunt. Quod et verbum ברא 1. Gen. 21. adhibitum, cum de productione animalium in aquis et volatiliis est sermo, confirmat. Licet autem idem verbum non repetatur cum sermo est de productione animalium terrestrium, sed verbum adhibeatur generalioris significationis, nequit ex hoc colligi verbum ברא primo loco creationem non significare, vel animas brutorum creatas non fuisse; nam cum per verbum ברא prius adhibitum significatum fuisset cuius naturae sint animae brutorum, quae nimirum creationem postulant, iam determinatus erat sensus subiiciendus alteri verbo generalioris significationis, quod adhibetur in productione terrestrium animalium naranda, quae eiusdem sunt conditionis. Aqua vero et terra eatenus concurrere ad productionem animalium potuerunt, quatenus per divinam virtutem efformata est ex eis materia organica, qua corpora animalium constant.

Thesis XVI.

Etsi formationis opus successive per sex dies peractum esse dicitur, nulla est tamen necessitas ut dies genesiacos accipiat pro eo spatio temporis quod modo vulgaribus diebus continetur; imo probabile est longius spatium temporis per eum designari. Ratio vero in promptu fuit cur illud spatium temporis diei nomine appellaretur.

I. Non una est hypothesis adhibita ad explicandos dies genesiacos. Iam audivimus quid per eos Augustinus arbitratus sit significari. Quidam e Germania viri haud multum ab Augustino discrepantes censuerunt ita accipi posse hos dies, ut per eos scriptor inspiratus designare intenderit sex praecipua momenta logice distinguenda activitatis divinae, sive sex divinas cogitationes executioni mandatas per creationem: quocum cohaeret quod formatio mundi per plura etiam saecula duraverit; idem vero etiam non impedit quominus plura ex his, quae in cogitatione Dei distinguuntur, simul actu producta fuerint, quod et geologia suadere videtur. Alius eruditus et recens scriptor e Gallis contendit nomen diei proprio accipiendum

esse, ut illi dies a nostris vulgaribus non differrent, quemadmodum et veteres generatim censuerunt.

Verum alii iique non pauci e recentioribus volunt sex dies genesiacos designare singulos spatium plus minus longum temporis.

Ista opinio quod sex dies genesiaci sint totidem epochae plurium annorum, imo saeculorum, ideo excogitata est, quia visum est longius spatium temporis postulari pro formatione telluris explicanda. Hoc autem principio recepto rursus aliae sunt exortae opiniones. Quidam enim censuerunt periodos istas paleontologicae, quae pro telluris formatione postulantur, collocandas esse ante illud instans temporis, quo Deus a Moysse dicitur creasse caelum et terram; et idcirco ברא non nisi quamdam conformationem mundi iam praeesistentis (creati utique olim a Deo) significare. Alii vero arbitrati sunt periodos illas collocari posse in eo spatio temporis quod intercessit inter id quod in secundo versiculo et sequentibus describitur, sive inter statum chaoticum terrae, et productionem lucis qua prima dies inceptit. Alterutra hypothesis admissa, licet genesiacos dies pares reputare vulgaribus nostris. Alii tandem volunt periodos istas diebus ipsis genesiacis contineri.

Satis constat sententiam Augustini non esse necessariam, et absque sufficienti ratione discedere a sensu literali textus inspirati. Cum autem verbum ברא productionem ex nihilo heic significet (Th. II), et verba in principio initium temporis simpliciter designent, ideoque in primo versiculo primae operationis Dei ad extra quoad mundum saltem materialem (ibid. et Th. III.) mentio fiat, hypothesis illa periodorum temporis quae praecesserint instans, quod primo versiculo describitur, nequit admitti. Altera hypothesis de periodis post יהוה et ברא ante primam diem, a) nullo modo indicatur, etsi non excludatur, a verbis textus, b) non est necessaria, si quod ea aetate supponitur factum, potuit quoque fieri sequentibus diebus, si quidem terminus dies possit accipi in alia significatione a vulgari: c) si vero id potest, imo si talis acceptio diei non vulgaris suadet ab ipso textu, ea hypothesis est minus probabilis ac illa quae periodos illas statuit in ipsis diebus. Iam vero rem ita se habere nunc breviter demonstraturi sumus. Sententiam quidem, quae non paucis recentioribus interpretibus aridet, defendimus, non vero tanquam certam et necessariam, sed tanquam probabilem, quaeque nullo pacto adversetur Scripturis. Quaestio est ergo de significatione termini dies in 4. capite Genesis.

II. Itaque 1) neque Augustinus neque Thomas arbitrati sunt necesse esse ut dies genesiacus pro vulgari die accipiat, imo Augustinus ut difficultates in hac interpretatione occurrentes declinaret,

dies omnes in unum brevissimum contraxit, quam opinionem Thomas non improbat, imo defendit solvens argumenta adversus ipsam allata q. LXXIV, a. 2.: ergo traditio catholica non eam exigit interpretationem.

2) Licet primaria aut communior vocabuli דִּיּוּם significatio sit *dies* vulgaris, potest tamen usurpari ad significandum quoque aliquid aliud quam ipsum diem vulgarem. Nec concedendum est solum in plurali hoc vocabulum significare longius spatium temporis, vel aliud quam spatium 24 horarum: nam et in singulari usurpatum habere ipsum huiusmodi significationem liquet conferenti Amos VIII, 11-13; Nahum III, 17; Psal. II, 7.

3) In hoc contextu 1. Gen. debet aliud significare. Sane α) dies est terque renovatur cum nondum sol est, qui tamen dicitur positus in signum dierum: eodem tamen modo appellatio diei fit tum praecedentibus, tum sequentibus creatione aut constitutionem astrorum. β) Dies isti constant tantum ex vespere et mane; atqui dies vulgaris his tantum non continetur. Neque dicas per eos terminos veluti extremos totum diem designari. Nam si e mane ad vesperam procedis, nox relinquitur extra; si a vespera ad mane, reliqua est extra meridies. Non ergo sunt termini extremi. Praeterea ratio certe fuit cur semper vespera praemitteretur $\tau\omega$ mane: atqui nullus est dies vulgaris, ne ille quidem qui sole vel luce super horizontem constituitur, noctique opponitur, qui a vespera incipiat et desinat in mane. Et re quidem vera *vespere* et *mane* horum dierum nequeunt esse similes nostris. Etenim respectu cuius partis telluris fuit vespera, respectu cuius mane? nunc enim coexistunt simul, licet in diversis locis: ideoque ea dicuntur de aliqua determinata parte. Moyses autem loquitur de universa tellure. Fuerunt ne successive in tellure universa prius vespera, tum mane? tunc mane, vespera, et dies fuere diversi a nostris. γ) Dies est, intra cuius spatium terra germinat herbas virentem, et lignum faciens fructum; atqui huiusmodi germinatio unius diei spatio naturaliter haberi non potest, ut iam audivimus monuisse Augustinum. δ) Vix ac Adamus exstitit, probabilissimum est quod potuerit opus creatoris mirari ut illum laudaret, ideoque potuerit videre astra caelestia, quae potior pars sunt creationis: at si dies vulgares fuerunt, die sexta absoluta, nulla adhuc stella oculis cerni potuisset; nondum enim eius lux ad tellurem pervenisset. ϵ) Constitutio quidem telluris talis se nobis in inferioribus stratis inspicendam exhibet, ut non semper et quoad omnia sibi respondeant successivae periodi geologicae et dies genesiaci quartus, quintus et sextus, sed in quibusdam differant, ita ut e. g. cum primis plantis in infimo strato simul animalia quaedam appareant;

et in strato superposito novae arbores videantur (quod forte discrimen potius est apparens, quam reale; per summa enim genera Moyses res praecipuas et proprias cuiusque diei describit. Legi Plianciani in Cosmogonia part. II. §. 8. dies. 5); attamen quoad rei summam satis utraque sibi respondent periodi illae et dies genesiaci, ut id videatur significare voluisse Moyses, quod tellus in suis visceribus nobis manifestat. Ex his ergo concludimus, quod nomen *dies* in 1. Genesis, cum sex dies distinguuntur, non significat diem vulgarem, seu spatium viginti quatuor horarum. Non tamen habet significationem prorsus aequivocam cum illo, sed potius analogam. Sicut enim dies vulgaris est spatium certi temporis utique brevis, ita dies genesiacus est spatium certi temporis sed longioris; et sicut dies vulgaris septies repetitur, sive septem sunt diversi dies vulgares, ita et dies genesiaci septem sunt; sex in quibus Deus operatur novas naturas condens, septimus in quo a novarum rerum molitione quiescit, res creatas administrans et regens.

Item *vespera* et *mane* possunt analogice accipi. Retenta enim significatione propria vocum ערב et בקר , quorum prima mixtionem, confusionem significat, alia aperiendi significationem habet (hinc vespera dicta ערב , quia recedente luce res omnes confunduntur quoad visionem sensibilem, et mane dictum בקר quia per lucem supervenientem aperiuntur et manifestantur), vespera genesiaca, quae est initium diei genesiaci potest accipi pro materia adhuc informi, vel pro duratione materiae in sua adhuc informitate; mane quod est terminus diei genesiaci, potest accipi pro formatione eiusdem, per quam formationem veluti aperitur et explicatur quod confusum erat. Ita Augustinus in opere imperfecto in Genesisim c. 45. « Sed nimirum cum dicit: facta est vespera, *materiam informem* commemorat, quam autem dicit: factum est mane, *speciem* quae ipsa operatione impressa est materia; mane enim post operationem transactum diem concludit. Non tamen dicit Deus: fiat vespera fiat mane; commemoratio est enim rerum factarum brevissima, significata per *vesperam* et *mane materia* et *specie* ».

III. Ratio vero in promptu fuit cur illa septem spatia temporis sive epochae nomine *dierum* potius quam alio appellarentur. Series enim earum epocharum exsistitura erat typus hebdomadae, quae est mensura quaedam temporis nostri; septimus dies futurus erat typus illius diei, quo ab operibus quiescere oportet Deumque laudare; cum ergo typo iure fiat appellatio eadem quae ectypus appellatur (exemplar enim e. g. domus in mente artificis potest et ipsum vocari domus), iure meritoque illae epochae sunt appellatae dies.